

nos verò , siquidem animo excelsò , & alto , & virtutibus exaggerato sumus , nec debemus , nec possumus . tu posse te dico , quandoquidem potes . debere ne dixeris : quoniam nihil quisquam debet , nisi quod est turpe non reddere . Sed hæc hactenus . ille videat , quomodo imperator esse possit , cùm eum ne liberum quidem esse , ratio & veritas ipsa convincat .

## VI.

Quòd solus sapiens , dives .

**Q**uæ est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio ? solusne tu dives ? prò dii immortales ! egóne me audisse aliquid & didicisse , non gaudeam ? solusne in dives ? quid si ne dives quidem ? quid si pauper etiam ? quem enim intelligimus divitem ? aut hoc verbum in quo nomine ponimus ? opinor in eo , cui tanta possessio est , ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit : qui nihil querat , nihil appetat , nihil optet amplius . Animus tuus se judiceret divitem , non hominum sermo , neque possessiones tuæ , quis tibi nihil deesse putas , nihil curas amplius . satiates aut contentus etiam pecuria : concedo , dives es , sin autem propter evitatem pecuniae nullum questum turpem putas , cùm isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus , si quotidie fraudas , decipis , pescis , pacisceris , aufers , cripis , si socios spoliias , ararium expilas , si testamenta amicorum expectas quidem , at ipse supponis , hæc utrum abundantis , an egentis signa sunt ? animus hominis dives , non arca appellari solet , quamvis illa sit plena , dum

te inanem videbo, divitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique sat est, metiuntur homines divitarum modum. Filiam quis habet, pecunia est opus duas, majore: plures, magore, & si, ut ajunt, Danas quinquaginta sint filiae, tot dotes magnam querunt pecuniam: quantum enim cuique satis est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaustire possint: hunc quomodo ego appellabo divitem, cum ipse egerit sentiat? Multi ex te audierunt, cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod Popul. Rom. ex tantis vestigalibus jam pri-  
dem vix potest. Ergo hoc proposito, nunquam eris dives, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut ex eo tueri sex legiones, & magna equitum ac pedi-  
tum auxilia possis. Nam fateris igitur, non esse te divi-  
tem, cui tantum desit, ut expleas id, quod exoptas. Ita-  
que istam paupertatem, vel potius egestatem, ac men-  
dicitatem tuam nunquam obscurè tulisti, nam ut iis, qui  
honestè rem querunt, mercaturis faciendis, operis dan-  
dis, publicis sumendis, telligimus, opus esse quaesito-  
sic, qui videt domini tuae pariter accusatorum, atque ju-  
dicum consociatos greges: qui nocentes & pecuniosos  
reos eodem te auctore corruptelam judicii molientes,  
qui tuas mercedum pactiones in patrocinii intercisas,  
pecuniarum in coitionibus candidorum, dimissiones  
liberorum ad defænerandas diripendásque provin-  
cias, qui expulsiones vicinorum, qui latrocinia in agris,  
qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates,  
qui possessiones vacuas, qui prescriptiones locupletum,  
qui cades municipiorum, qui illam Syllani temporis

messem recordetur, qui testamenta subjecta, qui sublassos tot homines, qui denique omnia venalia, delectum, decretum, alienam suam sententiam, forum, domum, vocem, silentium: quis hunc non putas confidens, sibi quæsto opus esse? cui autem quæsto opus sit, quis unquam hunc verè dixerit divitem: est enim divi iarum fructus in copia: copiam autem declarat satietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam nunquam assequere, nunquam omnino es futurus dives. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, *Et rectè* [est enim ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica] de me filebo: de te lequar. Si censenda nobis, atque estimanda res fit, utrum tandem pluris estimabimus pecuniam Pyrrhi quam Fabritio dabat, an continentiam Fabritii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum, an responsum M. Curii? hereditatem L. Pauli, an liberalitatem Africani, qui ejus hereditatis *Q. Maximo* fratri partem suam concessit? *Hac profectò*, qua sunt summarum virtutum, pluris estimanda sunt, quam illa, que sunt pecunia. *Quis* igitur [si quidem, ut quisque, quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habendus sic] dubitet quin in virtute *divitia* posita sint: quoniam nulla possessio nulla vis auri *Et* argenti, pluris, quam virtus estimanda est. *O* di immortales, non intelligunt homines, quam magnum vultigal sit parsimonia. Veniv enim jam ad sumptuosos, relinquo istum quæstus. Capit ille ex suis prædiis sexcenta sestertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, *Et* sola marmorea facienti, *Et* signa, tabulas, suppellectilem. *Et* vestem infinite concupiscenti, non modò ad sumptum ille fructus est, sed etiam ad fenus exiguis, ex meo tenus vultigli, detractis sumptibus cupiditas aliquid

## PARADOXA.

19

aliquid etiam redundabit. Uter igitur est ditione, cui  
deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cuius  
possessio quo major est, eo plus requirit ad se tuendam: an  
quaesuis se viribus sustinet? sed quid ego de me loquor,  
qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse  
fortasse in hujus seculi errore verser? M, Manilius pa-  
erum nostrorum memoria [ne semper Curios, & Tuscio-  
nios loquamur] paupert tandem fuit. Habuit enim adi-  
culas in Carinis, & fundum in Labicano. Nos igitur  
ditiore, qui plura habemus? utinam quidem essemus:  
sed non astimatione census, verum vietn, atque cultus  
terminatur pecuniae modus. Non esse cupidum, pecunia  
est: non esse tenacem, veltigal est. Contentum vero suis  
rebus esse, maxima sunt, certissimaque divitiae. Ete-  
nim, si isti callidi rerum estimatores prata, & areas  
quasdam magno estimant, quod ei generi possessionum  
minime quasi noceri potest: quanti est estimanda virtus,  
qua nec eripi, nec surripi potest unquam: neque naufra-  
gio, neque incendio amittitur: nec tempestatum nec  
temporum permutatione mutatur? qua prædicti qui  
sunt, soli sunt divites. Soli enim possident res & fructuo-  
sas, & sempiternas: solique, quod est proprium divitiae-  
rum, contenti sunt rebus suis: satis esse putant, quod  
est: nihil appetunt, nulle regent, nihil sibi deesse senti-  
unt, nil requirunt. Improbi autem & avari, quoni-  
am incertas atque in casu positas possessiones habent, &  
plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc in-  
ventus est, cui quod haberet, esset satis: non modo non  
copiosi, ac divites, sed etiam inopes, ac pauperes ex-  
istimandi sunt.

B. 2

SOM-